De NONNULLIS LOCIS WOLFRAMIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

SCRIPSIT ATQUE EX AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD FACULTATEM DOCENDI RITE IMPETRANDAM

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXII HORA XI

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS LUCAE

PHIL. DR.

SOCIO AD RESPONDENDUM ADSUMPTO

HENRICO STEINBERG PHIL. CAND.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

BERTHOLDUS DELBRÜCK PHIL. CAND.

IOSEPHUS FÖRSTEMANN PHIL. CAND.

HALAE

TYPIS EXPRESSUM ORPHANOTROPHEI.

Cum ante hos tres fere annos de Wolframo Eschenbacensi a me disputata Theotiscarum litterarum peritis non prorsus improbarentur, haud scio an non ingratum benignis illis iudicibus fecerim, quod delectu habito nonnulla edidi ex iis, quae interea in poeta nostro tractando pro viribus enucleare studui. Quo quis enim diutius Wolframo, ut ita dicam, utetur, eo magis ad eius poemata et sententiis, quibus graviores magisque eximiae sunt nullae, et leporibus iisque venustissimis referta penitus intellegenda atque animo complectenda se applicabit. Libris quidem vel disputationibus, quas hoc in studio versantibus consulere licet et unde adiumenta promuntur, quibus Wolframi naturae magis magisque perspiciendae via muniatur, nostram aetatem haudquaquam abundare nemo est quin sciat. Etenim praeter grammaticam illam, qua ut luculentissima patriae doctrinae teste Iacobus Grimmius hoc largiore signorum tempore monumentum sibi ipse aere perennius constituit et praeter ea quae et Lachmannus et Hauptius, ratione tam critica quam hermeneutica usi, ad Wolframum rectius interpretandum attulerunt, pauca tantum exstant subsidia et ea quidem, sicut in lexico Beneckii opera inchoato, tam dissipata tamque abdita sunt, ut multum absit, ut, quicumque in Wolframi sententiis nonnumquam haerent, iis auxilium quam maxime tempestivum aptumque feratur. Quo fit, ut Schulzius vel Simrockius, quorum in Wolframo explanando consumptam operam minime abiciendam habeo, consulantur tamen securius, quam cum poetae nostri auctoritate convenire videatur. Etiamsi autem hodieque desiderantur scholia poetam nostrum illustrantia, ad quae conficienda iam ante hos triginta annos aequales incitavit Lachmannus (cf. praef. ad Wolfr. p. XI), habemus tamen quae poeta composuit tam accurate recensita, tam prope ad pristinam speciem indolem-

que accedentia, ut Lachmanniana hac ipsa opera duce plus quidem in Wolframo intellegendo proficere liceat, quam primo obtutu concedere velimus. Qua in re minime negem, singulos Wolframianorum poematum locos, sed qui parvi tantum momenti videntur, inveniri, quos aliter possis interpretari vel fortasse nonnumquam rectius accipere, quam Lachmannus, librorum manu scriptorum expensis testimoniis, intellexisse eos videtur; etenim parvae res etiam doctissimos homines ac prudentissimos fugere possunt neque ulla pars litterarum est, quin possit emendari. Re autem in universum spectata infitiandum esse existimo, meliores inventum iri rationes vel naturae Wolframi magis consentaneas, quam quas Lachmannus in textu qui dicitur vel restituendo vel distinguendo secutus est constantissime. Quid enim? Estne accusandus, quia Wolframum quam integerrimum exhibiturus, quod in Nibelungiadis poemate tractando fecerat, id potissimum egit, ut eos testes haberet incorruptissimos, qui memoria illi quidem in parvis rebus falli ex eoque passim vitiosa praebere videntur, mentiri tamen nesciunt? Minime vero. Quem enim, si Wolframi poeses, librorum testimoniis inter se comparatis, cognoverit, eo deductum arbitramur, ut librum Sangallensem cum familiaribus, ad quorum fidem et Parzivalem et Willehalmum poemata maximam partem recensita habemus, reliquis testibus postponendum esse pro certo habeat?

Atque etiam, si singula a Lachmanno recepta, quippe a vero abhorrentia, impugnanda putemus, cavendum est, ne implicemur erroribus. Nam quae per se spectata nobis probentur minus corrigendaque videantur, etiam laudem tum sibi parient, cum alia horum simillima rectissimaque sub oculos passim subiecta fuerint. Quae quidem res ad illam, quae totum illius studium in litteras collatam eximie decorat et quasi animat, Lachmanni constantiam referenda est; quo fit, ut provocare eum ad certamen certe periculosum sit. Sed fac, quaeso, eum abs te esse victum, arma tamen, quibus sumptis superior discesseris, mutuari negem te potuisse aliunde, quam ab illius armamentario.

I.

Quibus praemissis iam propius ad propositum, cum obscuriora nonnulla Wolframiana explicare in animo sit, accedamus. Ac primum disputetur de uno ex Wolframi carminibus. Constat inter omnes nonnulla tantum quae Wolframus fecit carmina adhuc exstare, alia nescio quot periisse, ut ea, quibus feminae cuiusdam vehementius carptae gratiam se perdidisse hic illic commemorat. Sed his de carminibus et perditis et servatis cum iam in praefatione operibus poetae nostri praefixa Lachmannus praeclare dixerit, quibus dictis non habeo quod adiungam, ad eam rem, quae mihi quidem digna videtur disceptatione, quaerendam aggrediamur. Wolframi carminum, quae quotiescumque perlegi, nullum confiteor mihi visum esse laborare maiore obscuritate, quam quartum (p. 5, 34 sq.), quod hanc in paginam transcribemus.

Der helden [1]) minne ir [2]) klage
du sunge ie gegen dem tage,

---

1) Cf. quae de littera *n* e verbi et participiis et infinitivis a Wolframo passim eiecta Lachmannus adnotavit ad Nib. 436, 4. 910, 8.

2) Pronomen *ir*, quo genetivus antecedens cum substantivo subsequente artius quidem coniungitur, oratio autem gravatur quodammodo, non hoc solum loco, sed etiam, ut praetermittam exempla, quae Grimmius Gr. 4, 351, Beneckius I, 437[a] hanc in rem attulerunt, legitur Parz. 257, 5 der frouwen trûrec, niht ze geil, *ir* surzengel was ein seil; 305, 14 froun Cunnewâren de Lâlant *ir* snüere unz an die sîne gienc; Tit. 90, 1 Gahmuretes herze ouch getwenget was von der minn *ir* hitze; Willeh. 196, 27 von der swære *ir* laste. Quibus exemplis addere dubitamus id, quod legitur Parz. 87, 7 sq. Der künegîn Ampflîsen, der kiuschen unt der wîsen, ûf spranc balde *ir* kappelân; vocabulum enim kappelân a genetivo suo tam longo intervallo distat, ut fieri non potuerit, quin pronomen *ir* insereretur orationi.

daz sûre nâch dem süezen.
swer minne und wîplich grüezen
alsô enpfienc
daz si sich muosen scheiden,
swaz du dô riete in beiden,
dô ûf gienc
der morgensterne, wahtær, swîc, dâ von niht gerne sienc.

Swer pfliget odr ie gepflac [1])
daz er bî liebe lac
den merkern unverborgen,
der darf niht durch den morgen
dannen streben,
er mac des tages erbeiten:
man darf in niht ûz leiten
ûf sîn leben.
ein offen süeze wirtes wîp kan sölhe minne geben.

Quo carmine, si Lachmanni rationem et interpunctionem sequare, mea quidem sententia haecce dicuntur. 'Quod clandestino amori querellae est, id prima luce canere solebas, qui cantus tuus acerbus iniquis auribus accipiebatur post suavem concubitum. Quisquis amicae gratiam atque amorem ita sibi conciliavit, ut ei breve tantum tempus deliciis suis uso ab his discedendum esset, — quidquid utrisque his amore coniunctis suadebas oriente lucifero, id, vigil, taceas nolique iis canere. Qui solet cum amata cubare, idque speculatoribus non ignorantibus, ei propter diluculum adventans aufugere non necesse est;

---

1) Notum est Wolframum, ut sententiae magis exaggerarentur, interdum fecisse versus, qui exhibent eiusdem verbi et praesens tempus et praeteritum (cf. *pfliget* — *gepflac*). Qua in re etiam accidit, ut tempori praesenti praemisso adiungatur hoc modo praeteritum, ut in eius locum simplex verbum auxiliare *hân*, omisso participio, substituatur, sicut Willeh. 253, 9 sq., ubi optimis libris testibus leguntur haec: *ich schûr sîner hantgetât, der bêde machet unde hât den kristen und den heiden* pro *machet unde gemachet hât.* Quo loco confirmari possunt quae et in Nib. 854, 2. 3 optimi libri (A) testimonio et in carmine Rudolfi Neuenburgensis (Minnesangsfr. p. 80, 15) auctore Hauptio leguntur. Cfr. ephem. litt. quas idem emittit tom. XI, 586 sq.

exspectare licet lucem clare lucentem; ac nihil est quod sollicitus, ne vitam suam in discrimen offerat, sit emittendus e domo amatae. Sed eiusmodi amoris participem se facere nequit, nisi qui coram hominibus carissimam feminam in matrimonium duxit.'

Has poetae sententias a nobis fusius explicatas si animo volveris, concedes, ea, quae priore carminis parte dicantur, cum posteriore quodam modo discrepare. Nam superiore poeta quasi tuetur concubinatum, cui posteriore satis plane repudiato matrimonium anteponit legitimum. Qua in re etiam perspicuum est, quae superiore stropha poeta protulit, impetu quodam animoque commoto effusa esse et elocutione levi et aequabiliter fluente carere, postremum autem carmen, dictione spectata, ab animo perturbationibus vacuo et tranquillo profectum esse. Quae cum ita sint, nescio, quaenam rationes, ut hae res sibi contrariae inter se concilientur, sint adhibendae, nisi hae, ut iudicemus, aut eum, qui altera carminis parte vigilem crudelitatis vehementius accusavit, altera mutato sedatoque animo vigilis cantum optime excusare (id quod sensisse Lachmannus videtur), aut stropha secunda responsum quoddam contineri vigilis, suam causam ita dicentis, ut simul doceat, quo modo cantus suus honeste possit exstingui.

Cum autem haec discordia, quam non exstare persuasum erit nemini, nescio quo pacto sedari possit, aggrediamur ad eam contemplandam carminis partem, qua facere non possum quin me confitear inprimis offendi. Etiamsi enim animum quavis ratione commotum solutius dicere concessum est (id quod in priore carminis, de quo quaerimus, parte evenire supra vidimus), exorsus tamen carmen nostrum videtur poeta nimium abusus esse hac licentia. Solet quidem quam ad rem demonstrandam sexcentos locos laudare possis, subiectum quod dicitur postponere obiecto; sed nostro loco, opinor, id parum commode fecit. Etiamsi autem talem verborum consecutionem, qua possit erigi eorum qui audiunt exspectatio, probes, vitio tamen poetae dandum videtur, quod obiectum, quod primo versu continetur, etiam appositis cumularit. Itaque, cum multum mea intersit, Wolframum tumidioris orationis culpa, quam exstare negari non potest, quantum in me sit, liberari, haud

scio an exordium carminis sit accipiendum aliter, atque a Lachmanno videtur intellectum esse. Qua tamen in re cavendum censeo, ne vocabula ipsa, in quibus erratum latet nullum, ne paululum quidem mutentur; nam testimonium Weingartensis libri a Parisiensi parum abhorrens non audire hominis est temerarii. Quae cum ita sint, haec tantum ad expediendam orationem ratio ineunda est, ut pace Lachmanni distinguendis in vocabulis rationem ab eius auctoritate diversam sequamur. Optime autem id videtur suaderi, ut Lachmanniana distinctione mutata orationis membra hoc modo distinguantur

Der helden minne ir klage,
du sunge ie gegen dem tage
daz sûre nâch dem süezen.

Quorum versuum primo, quo vigil, cum apud amantes in odio sit, tropice sed perspicue significari videtur, haec fere dici existimo. ‘Qui is es, de quo qui clandestino amore inter se coniuncti sunt, queruntur, tute cantabas’ cet. Quem versum etiam alio modo intellegi posse nequaquam ignoro. Nam substantivorum, quae a verbis transitivis proficiscuntur (quo in numero est *klage* vocabulum, non quidem nostro sed maiorum sermone), vim esse inter omnes constat duplicem. Quae res apparet praecipue, si genetivus ad eiusmodi substantivum verbale adiungitur. Quod ubi accidit, illud aut activam aut passivam notionem exhibet ita, ut id, quod in genetivo casu ponitur, aut agat quid aut patiatur. Utra autem harum notionum certo loco tribuenda sit substantivo verbali, nulla re nisi orationis contextu sermonisque usu diiudicatur. Cf. Grimmii Gr. 4, 723. K. W. L. Heyse, ausführl. lehrb. d. deutschen sprache 2, 201 sq. Cuius rei ut e nostratibus poetis medii aevi exempla afferam, vocabulis, quae apud Hartmannum Augiensem libell. 2, 157 sq. leguntur, *âne friunde frâge, sazte sî enwâge ir lîp unde ir êre* puella laudatur, quod, amicis non consultis, vitam suam in discrimen obtulerit; sed tamen verba *âne friunde frâge* per se etiam referri queunt ad amicos, qui puellam non consuluerint. Eodem modo Parz. 401, 9 dicitur de Ereco, cum ab amicis salutatur et excipitur, ita *Êreckes*

enphâhen; iisdem vero vocabulis poeta uti poterat, si dicere voluisset, alios ab Ereco excipi. Neque aliter vocabulis, quae Parz. 462, 17 leguntur, *der sêle senken* significatur animus, qui demittitur; haud dubie autem eadem usurpari poterant de animo, qui aliud quid demittit.

Quae cum ita sint, nostri etiam versus vocabulo *klage* aut activa aut passiva subiecta est notio. Verba igitur *der minne ir klage* significare possunt querellam aut eam, quam amor sive amantes edunt, aut eam, quae de amore pronuntiatur. Atque ita vigil, ut quem *klage* vocabulo insigniri existimamus, partes obtinere putandus erit aut eius, qui queritur de amantibus, aut eius, de quo illi queruntur. Insolentius autem dixisset poeta, si vocabulo *klage* significasset vigilem accusantem vel, cum queratur de amantibus, querulum; ut taceam de vulgari ratione carminum, quae *tageliet* nominantur, in quibus vigil concubinatum ipsum minime improbat querulus, nedum accuset amantes, quorum contra fautor monitor amicus fingitur. Quae res cum ita se habeat, alteram, quam fieri posse vidimus, probandam esse censemus exordientis carminis interpretationem, qua admissa vigil significatur is, de quo queruntur amantes idque ideo, quod cantu eius solem ortum indicante adduci solet amatus, ut ab amata discedat.

Sed redeamus ad accuratius perpendendam, quam distinguendis in versibus, de quibus sermo est, secuti sumus, rationem, qua adhibita mihi quidem persuasum est, orationem non solum expeditiorem fieri, sed etiam magis consentaneam cum eo genere dicendi, quod est Wolframi proprium. Cum autem sine dubio futuri sint, qui his tantum lectis sententiam nostram probare dubitabunt, recenseamus necesse est poemata quae fecit Wolframus, ecquid hic illic nobis sit occursurum, quo quod statuimus aliquatenus confirmetur.

Quaestio autem, hac de re instituenda, duplex est. Primum enim quaeratur oportet, quam rationem poeta noster sequi soleat, si qua tropice est enuntiaturus, inprimis sitne veri simile eum dixisse de vigile, querella est; deinde quaerendum erit, num Wolframus ea ratione, quam hoc loco ad ordinandas allocutionis partes ab ipso adhibitam esse iudicamus,

etiam alibi usus sit, ubi in eius poematis exstant allocutiones.

Veniamus igitur ad ea, quae primum esse investiganda modo diximus. Qua in re tractanda si vocabuntur in quaestionem etiam res ad caput quaestionis minus spectantes, operae tamen pretium esse arbitramur, obiter eas commemorare. Quaestione enim hac proposita, liceatne sic statuere, poetam nostrum, proprio vigilis nomine plane omisso, *klage* tantum vocabulo vigilem significasse, ultro eo adducimur, ut omnino intueamur, quem ad modum Wolframus homines quos finxit agentes circuitione usurpata insignire consueverit. Ne autem longus sim hac in quaestione expedienda neve incerta proferam, rationes recensebo eas tantum, quas Wolframus ad fabularum personas, si nomina eorum propria silentio praetermittit, significandas adhibuit.

Solet poeta noster notandis in personis id agere, ut eas significans aut loquatur quasi aenigmata, quae ii qui audiunt non possunt ante solvere, quam audierint sequentia, aut modo descriptione modo comparatione modo translatione usus personas notis insigniat talibus, quibus continuo agnoscantur. Aenigmata dico eas narrandi formulas, quibus, ut pauca exempla afferam, poeta utitur Parz. 132, 18 de Orilusio *dô kom von dem ich sprechen wil;* Parz. 260, 18 sq. de eodem *der vor Parzivâl dâ reit und vor der blôzen frouwen, der erhôrtz;* Parz. 312, 2 de Cundria saga *hie kom von der ich sprechen wil;* Parz. 601, 25 de Gramoflantio *jenen stam den heiet der mir freude nam;* Parz. 824, 28 sq. de Loherangrino *von Munsalvæsche wart gesant der den der swane brâhte* — ut alia eiusdem generis praeteream. Saepenumero personae notis, quae ad illarum aut corporis aut animi proprietates vel actiones spectant, sed quae nullam offerunt obscuritatem, significantur, ita tamen, ut efficiatur personarum descriptio, non translatio usurpetur, de qua infra dicemus. Descriptiones, ut ita dicam, fiunt, si Parzivalis significandi causa haec de eo dicuntur *sus wart für Artûsen brâht an dem got wunsches het erdâht* Parz. 148, 29; *dô sprach an dem was tumpheit schîn* Parz. 163, 21; *den man den rôten ritter hiez, die künegîn er maget liez* Parz. 202, 21; *dô dâhte der den sic hât sân an*

Gurnemanzes rât Parz. 213, 29; *sus gebôt der mit mir streit* Parz. 218, 10; *diu ir mit lachen hât erwelt der âne liegen ist gezelt mit wârheit für den hôhsten prîs* Parz. 221, 23—25; *swer ruochet hœren war nu kumt den aventiur hât ûz gefrumt* Parz. 224, 1; *dem der nu zins von freuden gît* Parz. 248, 8; *sîn ors dô gein ir wante der wênic si bekante* Parz. 249, 21; *zuo dem der minne was verselt* Parz. 287, 6; *sagt ir, der durch si dâ streit, dem sî nu nâch dem grâle wê* Parz. 389, 8—10; *den der frouwen spotten kan* Parz. 697, 17; *gein dem der ie was behuot vor solhem strîtes überlast* Parz. 742, 6; simili hisce locutione denotantur Parzival et Feirefitius *hie wellnt ein ander vâren die mit kiusche lember wâren und lewen an der vrechheit* Parz. 737, 19—21; pari modo dicitur de Gurnemantio *dâ er sitzen vant des was diu burc* Parz. 162, 13; de Clamideio *mit gelübde dô dannen schiet den ê sîn hôchvart verriet* Parz. 215, 17; de Gawano *her ist von Bertâne komn gein dem ir kampf hât genomn* Parz. 419, 25; de Uriantio *durch daz ir hête genomen der nie was in ir dienst komen ir kiuscheclîchen magetuom* Parz. 526, 3—5; de Gramoflantio *gein dem der hôchverte hort truoc* Parz. 683, 25; *ze dem der dort mîn herze tregt* Parz. 698, 5; de Itoniea *zuo der diu ir liehten glanz mit weinen hete begozzen* Parz. 725, 4; de Rennewarto *dem er sus stôrte sînen slâf, der bant im* Wilh. 286, 11; *der die starken stangen dans, den habt ir tumber danne ein rint* Wilh. 302, 14; *ê daz in gap strîtes kleit der mit der stangen vor in streit* Wilh. 416, 17; de Henrico Narbonensi *gein dem der wîz sô den snê ime strîte truoc den bart* Wilh. 408, 2; de Terramero *sus schiet von rœmscher erde der dâ vor dicke ûf Rôme sprach* Wilh. 443, 28. Eadem ratione Dei et Christi naturam, quo gravius et argutius significetur, a medii aevi poetis describi iam Iacobus Grimmius in mythologia Theotisca p. 21 monuit, ubi multa huius rei allata sunt testimonia, quibus haec adiungi possunt, quae e Wolframi poematis collegimus: Parz. 105, 22 sq. 466, 15. 568, 1 sq. 795, 30 sq. Wilh. 31, 7. 38, 12. 122, 10 sq. 166, 1 sq. 166, 18 sq. 215, 11. 216, 6 sq. 218, 4. 218, 26 sq. 219, 7. 224, 15. 253, 6 sq. 253, 9 sq. 303, 11 sq. 307, 29 sq. 317, 29. 357, 28 sq.

Sed haec hactenus. Iam enim tempus est caput ipsum huius quaestionis pertractandi. Restat enim, ut, quem ad modum comparationem et translationem Wolframus usurpare consueverit, consideremus; namque haec quaestio maxime, paene dixerim, sola ad vigilem illum pertinet, quem hoc carmine tropice significari censemus. Nec vero cuiquam mirum fore opinamur, quod etiam hac in re investiganda pronominationum tantum, ut supra fecimus, rationem habere in animo sit. His enim spectatis satis probari ac defendi poterunt quae de vigile supra diximus, cum translatione eum notari iudicavimus. Ac primum comparationum in numero eae mihi videntur ponendae esse pronominationes, quas articulus indefinitus praecedit, quales exstant e. g. Parz. 122, 13, ubi Parzival adulescens his tantum verbis significatur *aller manne schœne ein bluomen kranz, den vrâgte Karnahkarnanz;* Parz. 160, 17, quo loco Arthuri coniux a poeta nostro haec de Itherio efferendo deplorans fingitur *nu muoz ich alze fruo begrabn ein slôz ob dem prîse;* neque aliter Feirefitius, Parzivalis frater, id quod legitur Parz. 734, 30, *ob allem strîte ein vogt* appellatur. His locis, ut alios eiusmodi silentio praetermittam, perspicuum est, poetam translatione usurpata significare personas, ita tamen, ut inter personas et eam rem, quacum illae contenduntur, differentiam, quae indicatur articulo indefinito allato, aliquam esse intellegant ii qui audiunt. Quae differentia proprias spectanti tibi translationes se non offeret, cum illae non tantummodo sint comparationes, sed, nullo quo significari solet comparatio vocabulo orationi inserto, planae et perfectae rerum in personas translationes, ita dumtaxat, ut rei appellationem prorsus pro nomine personae poeta posuerit eiusque vice omnino fungi velit. Veris igitur translationibus adscribendae sunt eae, quae apud poetam nostrum inveniuntur his locis, quorum primus est Parz. 23, 7, ubi Gamuretus, cum Belacanam reginam salutaturus in equum ascendit, proprio nomine omnino praetermisso his tantum verbis describitur *dô saz der minnen geltes lôn ûf ein ors.* Similia Parz. 164, 16 leguntur, quo loco eques quidam de Parzivale, cuius foedis vestibus induti eum miserebat, vehementer admirans haecce

exclamat *wiest der minnen blic alsus bewart?* Aliae eiusdem generis translationes leguntur Parz. 199, 15 sq. *hin wider kom gegangen der burgære kampfes trôst* (i. e. Parzivâl); Parz. 600, 8 sq. *diu künegîn Arnîve sprach 'unser trôst* (i. e. Gâwân) *hât im* (sibi) *erkorn sîner ougen senfte, sherzen dorn.'* Quae translationes ut spectant ad viros, ita hae in feminis describendis versantur, quae exstant Parz. 130, 10 *sus lac des wunsches âventiur* (i. e. Jeschûte, Orilusii coniux) et Parz. 395, 28 sq., quo loco Gawanus de amata sua sic loquitur *aller mîner freuden wer* (praestatio) *sitzet an dem arme mîn: ir gevangen sult ir sîn.*

Harum unamquamque translationum poeta noster videtur sic instituisse, ut genus grammaticum eius vocabuli, quo significatur persona, naturali ipsius personae generi responderet; sed occurrunt apud Wolframum etiam translationes, quae hac generum congruentia carent eoque magis sententiam supra a nobis positam comprobare possunt, cum *klage* vocabulo, cui femininum tributum est genus, vigilem marem notari statuimus. Exempla igitur afferantur necesse est translationum, quibus cognitis et feminas et mares a poeta declaratos esse perspiciatur talibus vocabulis, quorum genus cum naturali personarum genere discrepet. Primum, quo haec res illustretur, exemplum legitur Parz. 86, 25, ubi Wolframus, oppidi cuiusdam obsessione descripta, hostium duces in potestatem redactos, qui omnibus suis fortitudine praestiterant soli, metonymia usus ita vocavit *diu ûzer herte* i. e. robur externorum sive eius fortitudinis, qua hostes extra urbem pugnaverant. Cui exemplo allato haecce eiusdem generis addenda sunt, quae leguntur Parz. 164, 17 sq. 313, 4 sq. 314, 11 sq. 514, 27 sq. 815, 29. Wilh. 452, 19 sq.

Horum igitur locorum rationem ut paucis perstringamus, in primis versibus Parz. 164, 17 sq. *mich jâmert immer daz ich vant an der werlde freude alsölh gewant* vocabula *der werlde freude* referenda sunt ad Parzivalem, qui ita dicitur ob eam causam, quod omnia quae in rerum natura sint gaudia quasi complectatur, aut, si alteram malis explicationem accipere, omnes homines laetitia afficiat. Deinde duo qui sequuntur

loci de Cundria sunt saga, quae Parz. 313, 4 sq. describitur his versibus *ein brûtlachen von Gent het an geleit der freuden schûr* et Parz. 314, 11 sq. pariter sic denotatur *sus kom geriten in den rinc trûrens urhap, freuden twinc.* Cum enim dictis, quae illam coram Arthuro rege eiusque equitibus effundentem poeta finxit, Parzivalem in gravissimum luctum incidere videamus, Cundria praeclare significatur non solum ea, quae ut tempestas laetas segetes ita Parzivalis evertit laetitiam, sed etiam ea, per quam efficitur, ut lugere ille incipiat laetumque animum domet. Simili metaphora poeta eo loco utitur, quem deinceps enumeravimus, Parz. 514, 27, cum explicaturus, quo modo Gawanus delicias suas Orgelusiam invenerit, hancce locutionem usurpat *sîns herzen voget er dâ vant: diu was frouwe überz lant.* Propterea scilicet quod Orgelusia totum Gawani animum occupat et quasi moderatur, poeta illam animi eius ducem (*voget*) appellat, ne masculini quidem generis ratione habita, quod semper huius nominis appositi proprium est; unde efficitur, ut pronomen insequens *diu* non ad genus huius nominis *voget*, sed potius ad naturale genus referatur feminae, quae illo nomine significatur. Iam proximo loco Parz. 815, 29 eadem tropice fingendi consuetudine Repansia, cuius amore Parzivalis frater mirifice flagravit, claustrum sive receptaculum cordis eius praedicatur; qua de muliere cum gradalem exportat poeta sic dicit *sîns herzen slôz truoc dan den grâl.* Ac simili metaphora Willehalmum utentem facit Wolframus Wilh. 452, 19 sq., cum Rennewartum, fidissimum armorum socium, proelio confecto, desiderat dicens *in hân noch niht vernumn war mîn zeswiu hant* (i. e. Rennewart) *sî kumn.*

Denique quaerentibus nobis, num poetam fecisse veri simile sit, ut et vigilem virum, de quo hic maxime agitur, nomine feminino *klage* significaret, et omnino de aliquo praedicaret, eum alius hominis querellam esse, inprimis ad quamvis dubitationem eximendam grave momentum locus Parz. 801, 6 sq. praebet, ubi uxor Parzivalis, postquam perdiu a coniuge separata fuit, hunc ita affatur *mir hât gelücke dich gesendet, herzen freude mîn.* Quid enim? Qui hoc loco virum Parzivalem nomine abstracto feminino *freude* significaverit,

eundem poetam nonne recte credimus etiam vigilem virum vocabulo feminino *klage* notare potuisse? Atque eodem certe iure, quo uxor Parzivalem vocabulis *herzen freude mîn* eum esse significat, de quo animus suus laetetur et gestiat, poetae nostro (sive quem alium hoc loco loquentem inducit) vigilem vocabulis *der helden minne ir klage* eum significare licuit, de quo amor clandestinus queratur.

His disputatis restat, ut accedamus ad defendendam rationem, qua versus in carminis fronte positos disponi et interpungi supra voluimus. Dubitari enim potest, num Wolframum, cum vigilem appellatum fecerit, hanc allocutionem ita instituisse veri simile sit, ut *du* vocabulo, quo allocutio ipsa continetur, accuratiorem vigilis definitionem i. e. versum *der helden minne ir klage* non subiungeret, sed potius ei praemitteret. Cui dubitationi ne me obicerem minus paratum, circumspiciendum mihi fuit, ecquid reperire possem, quo Wolframum potuisse ita dicere demonstrarem. Sed Parzivalem Titurelemque poemata legenti mihi nihil occurrebat, quo id, quod statui, potuisset evidenti exemplo defendi. Itaque me converti ad Willehalmum perlustrandum, quod poema, cum maximam partem de pugnis commissis agat nec paucos praebeat locos, ubi duces in militibus alloquendis atque ad fortiter dimicandum cohortandis versantur, aptius fore ad quaestionem nostram expediendam speravi. Nec spes, opinor, me fefellit. Si enim hi Willehalmi loci

211, 18 der dienestman und der vrîe,
marschalke, al de ambetliute,
ich bevilh iu allen hiute
den marcgrâven an mîner stat —

262, 2 die mîne, nu tuont dem gelîch —

301, 9 die uns ze dienst nu her sint komn,
und die srîches solt hânt genomn — —
helde, nu helfet —

345, 1 Terramêr von Suntîn
sprach ‘die zehen süne mîn,
ir sult habn die vierden schar —

cum carminis nostri exordio, quod explicantes iudicavimus ita esse distinguendum

der helden minne ir klage,
du sunge ie gegen dem tage
daz sûre nâch dem süezen —

comparantur, omnibus his locis similem exhiberi dicendi rationem et vocabulorum collocationem nemo negabit. Nam ut in locis e Willehalmo depromptis ea, quibus qui appellandi sunt accuratius significentur, allocutioni ipsi praemissa sunt ea dumtaxat forma dicendi, ut allocutionem continuo secuturam esse vix exspectes, ita carminis is versus, quo vigilem notari statuimus, antepositus est allocutioni. Quam rem ita se habere qui non infitiatur ille quidem, sed tamen Willehalmi locis cum carminis exordio, distinctione nostra probata, perfectam negat esse similitudinem, opinione ducitur minime contemnenda. Recte enim dicit, qui Willehalmi locos a carminis exordio eo monet differre, quod definitio in nostro carmine genetivum ad nominativum illustrandi causa adiunctum eumque in initio collocatum continet, in illis contra simplicem nominativi casus formam, nullo adiecto obliquo, prae se fert. Quae cum ita sint, haud scio an rectius fecissem, si locis illis omissis eos tantum attulissem versus, quibus Wilh. 349, 7 sq. exstantibus Josveisius dux hoc modo appellatur

des küenn Matusaleses barn,
du solt hiute der gote prîs bewarn.

His enim versibus mea sententia satis demonstratur, Wolframum carminis exordientis, quo vigil appellatur, partes plane ita ordinare potuisse, ut eum fecisse iudicavimus.

Si autem omnia, quae disseruimus de carminis exordio, de vigile allegorice notato, de ratione, qua carminis priores versus sint distinguendi, perlustrantur et nostra exordientis carminis intellegendi ratio cum Lachmanniana comparatur, decerni non posse nimirum apparet, quem ad modum poeta noster dixerit; utrumque enim dicendi genus ei licuit usurpare. Hoc vero disputatione mea videtur effici, ut, si vocabulum *klage*

accusativi casus formam habere atque ex vocibus *du sunge* pendere cum Lachmanno putatur, carminis exordium praebeat exemplum orationis parum expeditae. Cuiusmodi oratio etsi passim apud Wolframum deprehenditur, vix tamen illic inveniri poterit, ubi poeta noster, sicut hoc carmine exordiente, prorsus novum aliquid dicere ingreditur. At nostra carminis interpretatione probata non solum oratio fieri politior sed etiam, cum statim a carminis introitu vigil, ad quem tota refertur stropha, ex effectu significetur scilicet ex terrore quem amantibus inicit, initium carminis maiore dicendi vi exaggerari et quasi altius tolli videtur.

II.

His disputatis ad nonnullos Parzivalis locos, qui accuratiore contemplatione videntur mihi digni, tractandos nos conferamus. Qua in re conficienda primum in quaestionem vocentur ea, quae Parzivalis cap. 241. leguntur. Quo capite, postquam gradalis arx, ubi Parzival adulescens adeo sibi defuit, ut interrogatione illustri illa omissa regnum sibi destinatum temere repudiaret, magnifica miraculisque plenissima descripta est, narrationi adduntur versus, qui parabaseos instar cum ipso poematis argumento parum cohaerent. Titurelis enim senis mentione facta, ita tamen, ut verum eius nomen sileatur, poeta narrare hoc modo pergit

Wer der selbe wære,
des freischet her nâch mære.
dar zuo der wirt, sîn burc, sîn lant,
diu werdent iu von mir genant,
her nâch sô des wirdet zît,
bescheidenlîchen, âne strît
unde ân allez für zogen.
ich sage die senewen âne bogen.
diu senewe ist ein bîspel.

nu dunket iuch der boge snel:
doch ist sneller daz diu senewe jaget.
ob ich iu rehte hân gesaget,
diu senewe gelîchet mæren sleht:
diu dunkent ouch die liute reht.
swer iu saget von der krümbe,
der wil iuch leiten ümbe.
swer den bogen gespannen siht,
der senewen er der slehte giht,
man welle si zer biuge erdenen
sô si den schuz muoz menen.
swer aber dem sîn mære schiuzet,
des in durch nôt verdriuzet
(wan daz hât dâ ninder stat,
und vil gerûmeclîchen pfat,
zeinem ôren în, zem andern für),
mîn arbeit ich gar verlür,
op den mîn mære drunge:
ich sagte oder sunge,
daz ez noch paz vernæme ein boc
odr ein ulmiger stoc.

Triginta his versibus, si oculis animoque lustrantur, Wolframus iis qui audiunt praecepta quaedam dare videtur, quibus cognitis illi perspicue videant, numero se adscribendum esse eorum poetarum, qui in poematis componendis non suam libidinem et arbitrium sed stabilem ac firmam rationem sequantur eoque magis digni sint, qui audiantur. Nobis quidem nunc viventibus, si Wolframum legimus, opus non est tali disciplinae genere. Nam a pueris in Graecorum et Latinorum scriptorum libris haerentes mature adducimur ad contemplandas rationes, quas optimus quisque poeta ad poema componendum eiusque partes bene digerendas adhibuerit. Quo fit, ut rationes, quibus poetae alicuius cura, ut ita dicam, regitur, ex toto eius poemate intellegere discamus neque necesse id habeamus, ut poeta perspicuis vocibus consilii sui rationem reddat. Sed Wolframi aequalibus, cum maximam partem nullis paene nisi natura ac vita magistris uterentur neque aestheticae

quae dicitur non essent rudes, declarandae erant causae, cur, si poematis natura ita ferret, modo praetermitteret poeta silentio quae auditoribus dicenda viderentur, modo narraret, quae viderentur digredi ab ipsa via poematis. In utramque partem Wolframus huic officio suo satisfecit. Nam, ut exempla huius rei afferam, ineunte libro septimo (Parz. 338, 1—30), ubi, ut ad Gawanum celebrandum aggrediatur, Parzivalem paulisper de scaena dimittit, huius consilii causas explanavit; sicut versibus supra transcriptis copiose exsecutus est, quidnam esset, cur de gradalis arce eiusque incolis illo loco non plura enuntiaret, quam quae protulisset. Haec vero causa quem ad modum exponatur, cognoscemus, si proprius nunc accesserimus ad locum nostrum rimandum.

Priores eius versus ad septimum nihil videntur habere, quod intellectu difficile sit. His quidem poeta noster eos qui audiunt certiores fieri vult, postea eos cognituros esse, quis sit ille senex cuius modo mentionem fecerit; praeterea nomina et regis et arcis et terrae se tum cum illis communicaturum esse, cum cursus et ratio poematis tempus talia proferendi tulerit, idque perspicue (bescheidenlîchen), sine confusione (âne strît) ac sine ulla mora (âne allez für zogen). Hanc promissionem, qua auditoribus spes postea nomina cognoscendi ostentatur, poeta octavo versu concludit *ich sage die senewen âne bogen*, quo si verbum e verbo vertas nihil aliud dicit, nisi se quasi nervum sine arcu narrare; quemque versum haud facile intellegere possis nisi eorum, qui statim insequuntur, rationem habeas. E sequente vero versu continuo perspicimus, commemorationem illam nervi atque arcus parabolae loco accipiendam esse, id quod poeta ipse diserte praecipit, cum versu 9. dicit *diu senewe ist ein bîspel;* quo nomine maiores nostros et fabulam et proverbium et praeambulum et parabolam, sicut hoc ipso loco, appellare consuevisse iam C. Schulzius apud Hauptium 8, 377 exposuit. Iam poeta, posteaquam sic annuntiavit, se parabola uti, eam accuratius explanare ingreditur, cum versibus 10. et 11. huncce in modum dicit

nu dunket iuch der boge snel:
doch ist sneller daz diu senewe jaget.

Quod si verbum de verbo vertas, eorum versuum haec sententia est: 'si vos' — ita enim poeta eos qui audiunt affatur — 'arcum contemplamini, recte vobis *celer* appellari videbitur, sed id, quod nervo impellitur i. e. sagitta, celerius est.' Hoc quidem contrarium, quo poeta hoc loco celerem arcum sagittae celeriori opponere videtur, minime intellegitur vel adeo nullum omnino est. Celeritatem enim quam tandem ob causam quisquam arcui assignare possit, nisi quod arcu efficitur, ut sagitta celerrime evolet? Itaque hae duae celeritates et arcus et sagittae nullo modo contrariae inter se esse queunt. Aliud quid igitur poetam his versibus dicere voluisse quis non crediderit? Cuius verba si diligentius consideramus, posteriore versu sane de sagitta loquitur, ita tamen, ut periphrastica locutione his vocabulis eam significet *daz diu senewe jaget.* Hoc quidem multum interest. Hac enim circuitione nomen *senewe* acrius effertur atque ita proprie nervus arcui opponitur; atque haec duo ut sibi invicem opponerentur, id poetam egisse apparet. Quamquam verba, quibus hoc oppositum exposuit, non prorsus rationi consentanea sunt. Ut enim accurate, quod sentiebat, enuntiaret, post versum *der boge ist snel* ita ei pergendum fuit *diu senewe ist sneller.* Verum tamen ut res comparata melius quasi sub oculorum aspectum subiceretur, poeta noster, hanc vocum aequabilitatem aspernatus, appellationem *sneller* huic rei attribuit, quae nervo intento celeriter propellitur, eo tamen modo, ut illa quam in animo habebat inter nervum et arcum oppositio nequaquam obscuraretur.

Cum vero Wolframus arcum, id quod demonstravimus, nervo oppositum esse vult, arcum videlicet non totum illud quo tela emittuntur instrumentum dicit, sed tantummodo solidam et curvatam eius partem. Quae omnia si spectes, horum versuum sententiam sic fere possis Latinis vocibus reddere: 'Intuentibus vobis curvatam arcus partem et nervum cum ea comparantibus, placebit fortasse credere, in vi curvatae illius partis praecipue causam positam esse, cur sagitta tanta celeritate aërem pervolet, itaque eam maxime dignam videri, quae celeris appelletur. Attamen maiorem celeritatem nervo esse tribuendam; eum enim proprie esse, qui

sagittam impellat, atque ita velocitate arcui esse praeferendum.’

Aliud quid auctor his versibus dicere velle non potest. Hoc ex insequentibus etiam versibus perspicitur, unde cognoscimus, qua mente poeta parabola de nervo et arcu utatur, quid cum iis comparet eaque similitudine illustrare velit. Ita enim rem explicare pergit

ob ich iu rehte hân gesaget,
diu senewe gelîchet mæren sleht:
diu dunkent ouch die liute reht.
swer iu saget von der krümbe,
der wil iuch leiten ümbe.

Qui versus sic fere nobis videntur interpretandi esse: ‘Si haec mea sententia de arcu et nervo vobis probatur, rectus nervus cum iis narrationibus conferendus est, quae rectum semper cursum sequuntur, nullis insertis ambagibus, ac propterea hominibus probantur et placent. Sed quicumque poeta vobis quaedam referens, de curvitate (*von der krümbe*), hoc est de eiusmodi rebus narrat, quae a propria narratione digrediantur, animos vestros in errorem inducturus vel confusurus est; huius quidem narrationem arcui comparare possis, qui minoris aestimandus est, quam rectus nervus, cuius naturae directa narratio similis videtur.’ Quid poeta noster hac similitudine efficere velit, facile potest cognosci; quippe nihil aliud, nisi auditores intellegere vult, qua de causa accuratiorem de gradalis arce eiusque incolis expositionem, qua hoc loco narrationis cursus confunderetur, in posteriorem poematis partem differendam esse censeat; se in narrando certum consilium, rationem, ordinem rerum sequi, nullis ambagibus adhibitis, itaque non arcui sed nervo similem narrationem instituere idque eam ob causam, quod auditoribus placere, non confundere cupiat eorum animos.

Huic parabolae auctor hos versus adiunxit, qui sequuntur

swer den bogen gespannen siht,
der senewen er der slehte giht,
man welle si zer biuge erdenen,
sô si den schuz muoz menen.

Versus eos cum nec Schulzius nec Simrockius ita verterint, ut quod sentiat poeta perfecte intellegi possit, operae pretium videtur eos diligentius perquirere. Ac primam intellegendi difficultatem iam duo primi versus offerunt, quae in participio verbi *spanne, spien* in primo versu posita esse mihi videtur. Si enim hoc eodem sensu accipias, quo verbum *spannen* hodie usurpatur, ut significet '*ad sagittam impellendam intendere*,' versus hanc sententiam praebent. 'Quisquis arcum intentum viderit, nervo rectitudinem attribuet vel concedet nervum rectam lineam efficere.' At eiusmodi locutionis nulla ratio est. Constat enim, nervo, si ita intentus sit, non rectam, sed potius curvam lineam vel angulum formari; nemo igitur fuerit, qui talem nervum dixerit rectum. Quapropter iam hinc concludi poterit, Wolframum verbo *spannen* aliud quid significasse quam '*ad sagittam mittendam intendere*,' quem quidem actum alio loco verbo *ziehen, în ziehen* denotavit. [1])

Quae cum ita sint, rectius haud dubie intellegitur poeta, si dicere putatur non de arcu iamiam intento, sed de eo, qui contento nervo instructus est. His igitur Latinis vocabulis *contento nervo instructus* significari existimamus idem quod Wolframus notat *gespannen* vocabulo. Qua in re mirum tamen cuipiam potest videri, quod poeta noster contentum nervum, qui nostratium sententia cuiusque arcus est proprius, singulari vocabulo ad arcum addiderit. Sed videamus, num etiam Wolframi aequales mirati id esse putandi sint. Mihi quidem non videntur. Nam instrumentum, quo apud maiores sagittarius utebatur, constabat ex arcu et ex nervo, cuius altera pars alteri tantum arcus ramo firme deligata et astricta erat, altera vero, quae in tendiculam vel annulum exibat, ad alterum ramum non annectebatur neque contendebatur, nisi tum, cum sagittandi necessitas postulaverat. Quam rem ita se habuisse testimonia sunt daemonum arcus, qui picti inveniuntur in nona

---

1) Wilh. 18, 19 swie si heten *în gezogen*
mit künste manegen starken bogen,
ir lâzen unde ir *ziehen*
— — — — — — — —
wart in gar vergolten.

earum tabularum, quae *Horto deliciarum*, libro ab Herrada de Landsperg conscripto (ed. Engelhardt. 1818. cf. Wackernanagelii hist. litt. Theot. p. 95) praecipue decori sunt. Quos arcus eo modo, quem descripsimus, instructos qui spectaverit, Wolframum non iudicabit aliquid supervacaneum dicere, cum arcui, cuius mentionem facit, nervum contentum diserte attribuat; quod nisi fecisset, haec tantum fortasse dicens *swer den bogen siht*, aequales eius poterant dubitare, utrum diceret de arcu, cuius nervi alter finis solutus penderet, an de eo, qui nervum haberet utrimque contentum.

Versus igitur quattuor 17—20 hoc modo converti poterunt. 'Qui arcum viderit contento nervo instructum, rectam lineam hoc nervo effici concedet, excepto eo temporis momento, cum nervus ad impellendam sagittam tenditur ita ut curvaturam formet.' Deest quidem in Sangallensi libro versui 19. particula *ne*, quae exceptionem significans in Monacensi iisque qui cum eo faciunt libris legitur; sed hanc particulam a scriptoribus iam mature deleri solitam esse ex Wackernagelii hac de re disputatione (cf. Hoffmanni fundgr. 1, 279) iam diu notum est.

Postquam igitur versus, quod attinet ad singulorum vocabulorum significationem, interpretati sumus, nihil aliud restat, nisi ut quaeramus, quam sententiam poeta noster iis subiectam esse velit et qua de causa eos parabolae de nervo et arcu adiunxerit. Ad quod respondere non sane difficile videtur. Scilicet fieri potuit, ut aliquis de Wolframi auditoribus, cum curvum arcum et rectum nervum inter se comparatos audiret, nervum omni modo rectum existimare dubitaret, quippe qui in sagitta impellenda desineret rectam lineam efficere ac potius in curvam transiret. Cui auditorum dubitationi priusquam oriretur ut occurreret, poeta parabolae suae explicandi gratia versus 17—20 adiunxit, cum rectitudinem nervi ei tantum puncto temporis tribueret, quo is arcui stricte annexus esset, id vero tempus excluderet, quo in emittenda sagitta nervus curvaretur.

Priorem hanc partem Parzivalis capitis 241. postquam studuimus explicare, ad alteram transeamus contemplandam.

Convenit enim hoc caput in duas partes dividere idque propterea quod poeta, particula adversativa *aber* usurpata, a versu 21. ad nova dicenda aggreditur. Etenim usque ad versum 20. quae sensit de optimo narrandi genere parabolice dixerat; dixerat igitur de poeta eiusque officiis, quae ei explenda essent, ut iis qui audiunt satisfaceret. A versu autem 21. oratio, poetis quasi suadens ne fabulam narrent socordibus auribus, in auditore non attento describendo versatur, minime digno, cui quid narretur. Qua descriptione poeta noster eos qui audiunt hortari haud dubie voluit, ut narrationem suam benigno erectoque exciperent animo.

Accedamus igitur ad versus, quibus hortatio illa continetur, ipsos perspiciendos, quos implicata dictione abundare apparet. Quae difficultas in construendis sententiis iam a primo horum versuum conspicua est; nam si quis audierit versum 21., cuius haec sunt vocabula *swer aber dem sîn mære schiuzet* i. e. ‘sed qui in eum narrationem suam quasi telum dirigit,’ cuiusque vocabulo *dem*, quod ictum fert acutum, auditorem significari manifestum est, sperabit continuo secuturum esse pronomen relativum, quo hic auditor accuratius describatur. Sed poeta, hanc exspectationem frustrans, ita narrare pergit, ut, si Sangallensis libri lectio probatur, subsequentia non voci *dem* accommodet, sed ad nomen *mære* in fine huius versus collocatum referat, id quod hi versus testantur

swer aber dem sîn mære schiuzet,
22. des (sc. *mæres*) in durch nôt verdriuzet
(wan daz hât dâ ninder stat,
und vil gerûmeclîchen pfat,
25. zeinem ôren în, zem andern für) —.

Insolita illa atque inopinata ratione, qua versus 22. praecedenti adiunctus est, iam maiores offensos esse, ex varietate lectionum patet. In libro enim Sangallensi eiusque affinibus exstat ineunte versu 22., ut vidimus, lectio *des in*, reliquis autem codicibus lectiones exhibentur *da ins*, *des uns*, *das ins*, quarum lectionum nullam Lachmanno arrisisse coniecturae ab ipso propositae testes sunt. Etiamsi autem lectiones *da ins*, *des uns*, *das ins*, quippe parum aptae, a docto illo homine

recte repudiatae sunt, dubitari tamen, opinor, potest, num etiam lectio Sangallensis *des in* sit reicienda et coniecturae *dens* = *den es*, ut reliquas coniecturas quarum auctor est Lachmannus praetermittam, postponenda sit. Concedendum quidem est, lectione *des in* accepta, orationem parum eleganter et expedite decurrere videri. Nam versu *swer aber dém sîn mære schiuzet* audito, pronomen relativum, quod vocabulo *dem* respondeat, desideratur; quod desiderium coniectura *dens*, quae artius applicetur ad vocabulum *dem*, optime expleri Lachmannus praeclare cognovit. Verum si rationem habeam subsequentis versus 23. *wan daz hât dâ ninder stat*, cuius vocabulum *daz* ad vocabulum *mære* in versu 21 est referendum, facere malim cum lectione *des in*, idque ob eam causam, quod *des in* lectione probata transitus ad vocabulum quod sequitur *daz* facilius effici mihi quidem videtur, quam si coniecturam Lachmannianam *dens* accipias, quae hoc sane praecipuum habet, quod cum praeeunte vocabulo *dem* artiore vinculo copulatur. Secum igitur quisque ex his deliberare poterit, utrum cum Lachmanno stare velit an cum libris Dd inscriptis. Sed nobis postquam de lectionibus satis diximus iam ad sententias Wolframi explicandas redire placet, qui versibus 21—25. haec fere dixit. 'Sed qui in eum dirigit telum narrationis, cuius (sc. narrationis) eum (sc. auditorem) gravi aliqua de causa piget (pigere autem eum hinc maxime perspicimus, quod narratio in eius animo stabilem fixamque sedem nusquam inveniat, sed potius in viam incidat spatiosam, in qua liberius agitari possit ita ut vixdum alteram aurem ingressa sit, cum iam ex altera evolaverit) ..' Haec igitur sententia, quam poeta noster primo versu explicare ingreditur, statim sequente interrumpitur additamento, quo nomen *mære* accuratius illustratur et, quomodo ab auditore minus attento narratio accipiatur, exponitur.

Oratio autem his versibus insertis interrupta producitur versu 26 sq., quibus poetam nostrum apparet explicare, quantulum qui istiusmodi auditoribus fabulam enarret apud eos proficiat. Sed ratio tamen, qua sententiae partes interpositione divulsas Wolframus copulavit, alia est quam quae exspectetur.

Proprie enim protasi, quae a pronomine *swer* incipit, aptissime pronomen *der* in principio apodoseos responderet. Sed Wolframus pro eo poeta, quem hoc pronomine *der* significari oportuit, se ipsum ex insperato inserit; quippe se talem poetam accipi vult, cui minime placeat socordibus auditoribus aliquid narrare. Vulgari igitur dicendi lege neglecta non haec pronuntiat *der verlür sîn arbeit* ‘is operam prorsus perderet,’ sed nova conformatione sententiae huncce in modum dicere pergit

mîn arbeit ich gar verlür,
op den mîn mære drunge:
ich sagte oder sunge,
daz ez noch paz vernæme ein boc
odr ein ulmiger stoc.

Quibus versibus haec dici videntur. ‘Operam prorsus perderem, si fabula mea huiusmodi auditori instare vellem eumque onerare; sive narrarem sive cantarem, multo quippe melius ab hirco intellegerer aut ab trunco carioso, quam ab illo.’ Vocabulum *ulmic* explicantes et Schulzius et Simrockius ad ulmum arborem perperam retulerunt; quem errorem, si ea legere noluere, quae apud Beneckium III, 178^{b}, apud Grimmium gr. I^{3}, 156, apud Graffium I, 249 litteris mandata sunt, effugere tamen potuerunt, si varietatem lectionum reputassent. Lectiones enim *fulmiger*, *vil vuler*, quae libris Gg exhibentur, cum pro raro vocabulo *ulmic* vocabulum *vûl*, quo usitatiore idem significatur, substituerunt, poetam satis perspicue interpretatae sunt.

Sic posteaquam alteram quoque capitis partem explicandi finem fecimus, utile videtur, paucis ea animo complecti, quae Wolframus totius capitis argumento voluerit declarare. Itaque, si quae singulis dixit partibus perlustramus, primum videmus agi de quovis poeta, qui, quae narrat, ordine exponit, deinde de eo, qui narratione circuitibus cumulata eorum qui audiunt animos conturbat atque confundit, denique de eo, qui, cum minus attento fabulam narret, operam perdit. Quorum poetarum cum nec secundum nec tertium imitaturum se esse Wolframus satis clare significet, auditores optime monet, ut et ordine

se narrare confidant et attente audiant. Quae praecepta poeta noster, ut iam supra demonstravimus, hoc Parzivalis loco eam ob causam inseruit, ne auditores, si gradalem eiusque custodes eo ipso loco accuratius illustratum iri frustra speravissent, temere secum altercarentur,[1]) sed attentis animis se audire pergerent.

Neque hoc solum loco, sed etiam Parz. cap. 805. poeta noster narrationem suam considerate dispositam rectaque pergentem cum nervi rectitudine comparavit. Etenim paulo ante illud caput postquam uberius expositum est, quem ad modum Parzival, rex gradalis factus, cum coniuge et Loherangrino filiolo, tandem repertis, ad gradalis arcem rediturus Sigunam adierit mortuamque inventam condiderit, hi versus narrationi illi adiciuntur, Parz. cap. 805, 11 sq.

der herzoge Kyôt
wesse wênc umb sîner tohter tôt,
des künec Kardeyzes magezoge.
ez ist niht krump alsô der boge,
diz mære ist wâr unde sleht.
si tâten dô der reise ir reht,
bî naht gein Munsalvæsch si riten.

Quos versus qua de causa Wolframus narrationi inseruerit, ex eo quem supra interpretati sumus loco satis perspicue apparet; ita quidem ut superior ille locus huius illustrandi gratia paene necessario requiratur. Fieri enim potuit, ut auditores, Sigunae morte memorata, se etiam de Kioto, Sigunae patre, inprimis quo modo filiae obitu affectus ille fuerit, aliquid comperturos esse sperarent. Quibus talia exspectantibus ut satisfaceret, poeta noster paucis quidem Kioti fecit mentionem, ita tamen, ut causam afferret, cur in eius luctu illustrando commorari non posset, Kiotum dicens ignorasse, filiam

---

1) cf. Parz. cap. 452, 29

an dem ervert nu Parzivâl
diu verholnen mære umben grâl.
Swer mich dervon ê frâgte
unt drumbe mit mir *bâgte*,
ob ichs im niht sagte,
umprîs der dran bejagte.

esse mortuam. Re vera autem Kioti luctum propterea silentio praetermisit, quod rebus minoris momenti narrationi interpositis rectum fabulae cursum, nervi naturae similem, illo loco confundi noluit, id quod perspicuis his vocibus, quae summam poesis Wolframianae egregrie comprehendunt et ingeniosam eius artem et iudicium evidenter declarant, auditores parabola iam usurpata iterum usus docuit

ez ist niht krump alsô der boge,
diz mære ist wâr unde sleht.

III.

His disputatis ad Parzivalis locum venio tractandum, quem iamiam abhinc tribus fere annis opusculo meo (p. 33 sq.) explicare studui. Versus autem, quorum argumentum mihi videtur dignum, de quo iterum disputetur, leguntur Parz. cap. 481, vv. 19—26.

wir gewunnen Gêôn
ze helfe unde Fîsôn,
Eufrâtes unde Tigrîs,
diu vier wazzer ûzem pardîs,
sô nâhn hin zuo ir süezer smac
dennoch niht sîn verrochen mac,
ob kein wurz dinne quæme,
diu unser trûren næme.

Hi versus, qui continentur in narratione Trevrizentis de remediis, quae gradalis custodes ad Anfortasium regem adhibebant sanandum, de paradisi fluviorum natura agunt salubri. Etenim regi suo auxilium se laturos esse sperantes, gradalis nuntii proxime paradisum ex eius fluviis aquam illic hauserant, ubi propria aquae dulcedo evanescere nondum potuerat. Sed herbarum salubrium, quas undis fluviorum paradisi ad se delatum iri illi speraverant, nullam repererunt atque ita operam perdiderunt. Quae Trevrizentis narratio ut fabulis eiusdem generis aliquatenus illustraretur, ea commemoraveram, quae

in Lamberti clerici Alexandro poemate, Weismanni opera edito, vv. 6463—6623 de Alexandri itinere ad paradisum expugnandum suscepto referuntur. Fabula enim illo loco exhibita, qua Euphrates poma, frondes, flores undis suis devexisse dicitur, idonea mihi aliquo modo videbatur, quae cum eorum versuum, quos supra transcripsimus, argumento compararetur. Neque inepte, opinor, cum eo contuleram eam quoque fabulam, quae Nicodemi evangelii apocryphi (cf. codex apocr. Novi Testamenti a Thilone editus) capite XIX continetur spectatque ad Sethum ab Adamo patre moribundo ad paradisum eo consilio missum, ut oleum ex arbore misericordiae patri sanandi causa acquireret. Illae vero duae fabulae, quamquam cum hac in Parzivale narrata haud dubie ex uno et eodem fonte emanarunt, eo tamen ab illa differunt, quod Nicodemi evangelio non memorantur fluvii paradisi, Alexandro vero poemate Euphratis nec plantis neque undis vis attribuitur medica. Fabula igitur de paradiso apud Wolframum tradita, qua paradisi fluviorum non solum herbis, sed etiam ipsis aquis iisque prope a paradiso dulcibus adscribi videtur vis medendi, se praebet uberiorem optimeque respondet iis quae de sacris fluminibus olim senserunt homines. Antiquos enim libros, quo Parzivalis locum nostrum accuratius intellegerem, iterum pervolvens, narrationes vel opiniones hic illic deprehendi expositas, quae ad fabulae a poeta nostro memoratae partes nonnullas referendae sunt. Quae ita esse etsi existimo, minime tamen Wolframi aut Francogallici auctoris, quem ille secutus est, narrationem statuo emanasse ex iis libris, qui, similia sane tractantes, fortuito tamen in manus meas inciderunt. At libri illi haud dubie testes sunt, poetam nostrum vel eius auctorem non sua protulisse commenta, sed fabulas iamdiu latissime divulgatas. Etiamsi enim fabulam, qua Wolframus saporem paradisi fluviis dulcem assignat, vulgo receptam esse non inveni testimonia certa, nihil tamen impedit, quominus eam antiquissimam habeamus. Quae fabula quem ad modum sit nata, facile potest ratione concludi. Quid enim? Quid, cum paradisus locus fecundissimus et amoenissimus Mose auctore haberetur, aptius videri poterat, quam suavem paradisi naturam etiam cum aquis inde ortis communicatam

esse ita, ut aquae, in paradiso dulces, paradiso relicto dulcedinem sensim amittere putarentur. Neque desunt tractatus de paradiso terrestri olim conscripti, quorum auctores de paradisi fluviis ita sensisse videmus. Exstat enim e. g. commentarius de paradiso, quem scripsisse dicitur Moses Barcepha, episcopus Syrorum in Beth-ramam et Beth-ceno ac rerum sacrarum curator in Mozal sive Seleucia Parthorum, qui vixisse perhibetur saeculo post Christum natum decimo circa annum DCCCC.[1]) Commentarius eius de paradiso, in partes tres divisus, interprete ex Syriaca lingua in Latinam Andrea Masio Bruxellensi, receptus est in Max. biblioth. patrum tom. XVII, Lugduni MDCLXXVII. Cuius tomi in pag. 467, D (commentarii part. I, cap. XXI.), cursu paradisi fluviorum explicato, haec leguntur. '*Ceterum quod ad saporem spectat, idemne illis aquis maneat apud nos, qui fuerat in Paradiso, an minime: nos pronuntiare non dubitamus, in Paradiso esse gustatu gratissimas suavissimasque, inde autem progressas, plurimum suavitatis amittere, acredinis vero contrahere, cum illud Paradisi solum laeta Dei precatione beatum et felix sit, at hoc nostrum contra, execratione infelix et triste. Quantum igitur interest inter eum fontem cui benedicunt omnes, et eum quem nemo non detestatur, tantum differt suavitate atque amoenitate illorum fluviorum sapor quem in Paradiso ab eo quem apud nos obtinent. Nam si nostrates aquae, unius eiusdemque naturae cum sint, pro soli indole per quod fluunt, dulciores, amariores, insulsiores, salsiores evadunt; cur non existimabimus illos quoque fluvios tantisper, dum per beatissimum ac felicissimum locum Paradisum fluunt, iucundissimo atque suavissimo sapore esse, in hoc vero execrabilis nostrae tractu terrae de illa suavitate plurimum remittere?*'

Haec Mosis Barcephae de paradisi fluviis opinio, etsi eam non vulgarem sed suam tantummodo prae se fert, eamque Wolframo vel eius auctori vix notam fuisse statuendum est,

---

1) Cf. Philippi Labbe, Biturici, societatis Iesu theologi, de scriptoribus ecclesiasticis, quos attigit — — card. Robertus Bellarminus, philologica et historica dissertatio. Parisiis MDCLX. tom. II, pag. 95.

tamen tam evidenter cum illis congruit, quae Parzivalis loci versibus 23 et 24 narrantur, ut facere non potuerim quin eam commemorarem. Huc accedit, quod ea perspicue docet, qua ratione eiusmodi fabulae diligenter cogitando et concludendo olim facile natae sint, nec dubitari potest, quin fabula, qua apud Wolframum exstante paradisi fluviis dulcedo adscribitur, pari modo conficta sit.

Sed haec hactenus. Solidiorem, ut ita dicam, causam haud dubie exhibet ea fabula, quae in populis pervagata sacrarum aquarum vim laudat medendi. Quid enim videtur rectius existimari posse, quam, cum aqua omnis propemodum generis homines vel defatigati vel valetudine affecti sanari soleant, hanc vim iis praecipue aquis contineri, quas sacris in locis ortas esse vetus est opinio, profecta ex pietate? Hinc igitur vis salutaris, quam paradisi fluviis populi attribuerunt orientales, hinc fabula, quam Wolframus in narrationem suam recepit. Si vero quaeritur, quo modo haec fabula in Wolframi poema recipi potuerit, quasi aenigma quoddam nobis proponitur, doctioribus hominibus explicandum. At coniecturam de hac re captam proferre nobis licet. Constat inter omnes, res in Parzivalis poemate hic illic narrari, quarum in Oriente ortarum auctores videntur Arabes fuisse, qui eius fabulae quae de gradali est patriam i. e. Hispaniam et Franciae partem australem olim obtinebant. Quid igitur impedit, quin etiam id, quod apud Wolframum de paradisi aquarum virtute praedicatur, situm esse censeamus in opinione Arabum, qui, si Huetii testimonio fidem habeas, Euphratem, quod iis quoque videbatur flumen paradisiacum, praeter ceteras gentes habebant salutiferum. Scripsit enim P. D. Huetius, cum fuit episcopus Abrincensis, tractatum de situ paradisi terrestris ad academiae Franciae socios missum receptumque in Thesauri antiquitatum sacrarum auctore Blasio Ugolino editi volumen VII (Venetiis MDCCXLVII), ubi pag. Dlxvij haec exstant. '*Ceterum, ut populi Gangi et Nilo virtutem attribuerunt sanctificandi animas, sic Euphrati virtutem attribuerunt restituendi corporibus sanitatem. Et Arabes quidem tam bene de undis huius fluvii sentiunt, ut ad levandos omnis generis morbos easdem bibant et*

infallibile contra pestem credant esse medicamentum; idque ex virtute, quam in Paradiso terrestri assumserint. Et quoniam eundem effectum fluvio Hyphasi tribuunt, Philostorgius exinde probare conatur, ipsum Phisonem fuisse et ex Paradiso profluxisse.

Quo ex fonte Huetius haec de Arabibus prolata hauserit, nescimus; sed infitiandum videtur, quem, cum addubitet, num Philostorgius Hyphasin recte pro Phisone habeat, aliquo modo criticum in distinguendis auctoritatibus iudicium prae se ferre videamus, eum prorsus temere vana quaedam effudisse.

Philostorgius autem ille ab Huetio reprehensus Hyphasi non solum vim medendi attributam esse in libro de historia ecclesiastica confirmat, sed etiam alius fabulae, qua huius fluminis origo probetur paradisiaca, mentionem facit; quae fabula, cum ad plantam quandam spectet ex paradiso delatam, quodam modo respondet iis quae Lambertus de Euphrate, Wolframus de omnibus quattuor fluviis paradisi narravit. Quapropter ex re videtur esse, Philostorgii locum hoc nomine argumentandi causa hic subiungere. Haec enim exstant in Philostorgii eccl. hist. (ed. Reading, Cantabrigiae MDCCXX) lib. III, cap. 10. — — *ὁ νῦν Ὕφασις καλούμενος ποταμός, ὃν ἡ γραφὴ Φεισὼν ὀνομάζει, καὶ αὐτὸς τοῦ Παραδείσου ἀναβλύζων, ἐκ τῶν Ἀρκτώων μᾶλλον τῆς ἀνατολῆς μερῶν ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν φαίνεται ῥέων, καὶ εἰς τὸν ταύτῃ ὠκεανὸν τὸ ῥεῖθρον εἰσερευγόμενος, ἀντικρὺ τῆς νήσου Ταπροβάνης· οὗ παρὰ τὰς ὄχθας τοῦ ποταμοῦ εὑρίσκεται τὸ λεγόμενον Καρυόφυλλον, εἴτε καρπὸς, εἴτε δὲ καὶ ἄνθος τυγχάνει· καὶ πεπιστεύκασιν οἱ ἐκείνῃ, τῶν ἐκ τοῦ Παραδείσου τοῦτο δένδρον εἶναι· καὶ γὰρ καὶ ἡ ὑπὲρ αὐτοὺς γῆ, ἔρημός τέ ἐστι δεινῶς ἅπασα καὶ ἀκαρποτάτη· ἐκ δὲ τοῦ φέρειν τὸν ποταμὸν τὸ ἄνθος, ἐπίδηλον ἂν εἴη ὡς οὗτος ὁ ποταμὸς ὑπὸ* (scr. *ὑπὲρ* Valesii coniectura probata) *γῆς ἅπας ῥεῖ, μηδαμόθι καταδυόμενος. οὐ γὰρ ἂν τὸ ἐκεῖθεν φυόμενον ἠδύνατο φέρειν. ἔχει δέ τι καὶ ἄλλο σύμβολον τῆς παρὰ τὸν Παράδεισον γεηρᾶς ἐπιμιξίας· φασὶ γὰρ ὡς ἐάν τις τύχοι πυρετῷ λαύρῳ φλεγόμενος, εἰς τὸν ποταμὸν βαπτισάμενος, παραυτίκα τοῦ νοσήματος ἀπαλλάττεται. ὁ δὲ Τίγρης καὶ Εὐφράτης, διότι καταδύουσι καὶ*

πάλιν ἀνίσχουσιν, οὐδὲν ἐκεῖθεν δύνανται κομίζειν ὡς ὁ Ὕφασις. Hanc Philostorgii descriptionem, qua Hyphasis immerito, credo, iudicatur Phison Moseius, neque ab iis quae apud Lambertum de Euphrate plantas trahente memorantur neque ab opinione legatorum gradalis de herbis ex paradiso delatis magnopere abhorrere apertum est. Sed licet omnes hae narrationes communi quasi vinculo contineantur, id est vulgari opinione, qua varii populi paradisum esse locum omnium fertilissimum, optimis virtutibus abundantem nec prorsus praeclusum hominibus, persuasum habuerunt, aliud tamen Wolframus narravit, aliud Philostorgius. Qui quod de Caryophyllo[1]) planta exponit, originem eius inde a paradiso repetitam esse, id quidem non dissimile videtur iis, quae Parzivalis loco, de quo disputamus, de paradisi aquarum herbis leguntur. Verum tamen vim medendi, quam earum herbarum propriam gradalis nuntii duxerunt, in Caryophyllo fuisse, ne verbo quidem Philostorgius memoravit. Quae cum ita sint, longius nobis circumspiciendum erit, num quo alio ex loco documenta nobis suppeditentur litteris mandata, quae huic Parzivalis loco accuratius respondentia ad salubritatem spectent plantarum e paradiso originem trahentium.

De fabula a Nicodemo tradita, qua quidem Sethi iter ad arborem vitae susceptum explanatur, iam supra diximus; quae quo modo cum Wolframi narratione sit comparanda quibusque in partibus huic videatur esse finitima, alio loco studuimus explicare. Sed quamquam alteram narrationem alteri similem esse negari non potest, tamen in Nicodemi evangelio mentio fit nulla paradisi fluviorum, sed eorum virtutem vel munus, quo fluvios Wolframus exornatos praedicavit, in illo evangelio ad Sethi ipsius personam delatum legimus. Cuius quidem differentiae cum aliqua saltem ratio habenda sit, adduci non possumus, ut Nicodemi fabulam unicum habeamus fontem, unde quae apud Wolframum leguntur manaverint.

---

1) Nomen huius plantae Germanis medii aevi non fuit ignotum; cf. et Wilh. Grimmii adnotatio ad Wisbadensium glossarum 191^{am} (apud Hauptium 6, 330) et Ben. lex. II, 298^{b} s. v. negelîn.

Huc accedit, quod anquirentibus nobis alia fabula et ea Libris Sacris tradita est, quae cum ad fabulam de vitae arbore spectat tum undarum mentionem facit salutiferarum; qua re Wolframo eodem iure et ea, quae Nicodemi libro referuntur, et haec, quae iam explicare ingrediar, narrationi suae exornandae et amplificandae haud absurde intexere licuit.

Legitur autem haec fabula vel potius vaticinium apud Ezechielem prophetam, qui, libertate Iudaeis captivis promissa ac nova terra, quam occupaturi sint, novoque in ea templo adumbratis, libri sui cap. XLVII, v. 6 sq. de torrente subter limen templi effluente haec loquitur, quae in Vulgata editione huncce in modum vertuntur. '— — *et eduxit me et convertit ad ripam torrentis. Cumque me convertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex utraque parte. Et ait ad me· aquae istae, quae egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis et descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquae. Et omnis anima vivens, quae serpit, quocumque venerit torrens, vivet: et erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquae istae, et sanabuntur et vivent omnia ad quae venerit torrens.* — — *Et super torrentem orietur in ripis eius ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, et non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiva, quia aquae eius de sanctuario egredientur: et erunt fructus eius in cibum et folia eius ad medicinam.*' Deinde cum hac Ezechielis prophetia conferendum est apocalypseos Ioanneae caput XXII ita exordiens. '*Et ostendit mihi fluvium aquae vitae, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. In medio plateae eius et ex utraque parte fluminis lignum vitae, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem Gentium.*'

Quae duo vaticinia si quis diligenter consideraverit, haud, opinor, dubitabit concedere, ea non minus quam Nicodemi narrationem Wolframi sive auctoris eius ingenium stimulare potuisse, ut gradalis nuntios ad paradisi flumina remediorum quaerendorum causa missos fingeret. Etiamsi enim apud Ezechielem et Ioannem nec paradisi neque aquarum eius nomina

leguntur, tamen utriusque vatis verba ex descriptione paradisi aliquam partem repetita esse et antiquis de paradiso fabulis egregie respondere nemo est quin videat. Ac probabile videtur, quae illis vaticiniis de vitae flumine lignum vitae lambente praedicantur, eadem Wolframum vel eius auctorem ad paradisi flumina transtulisse, quorum nomina certa Moses tradiderat quibusque vicina vitae arbor florere putabatur.

His disputatis haud scio an tempus sit, ut loci ex Parzivale tractandi finem faciamus; nam verum fundamentum, in quo argumentum illius positum fuerit, explorari vix poterit, coniecturas autem de hac re captas satis a nobis allatas esse existimamus. Tamen his de Parzivalis loco a nobis demonstratis pauca adiungantur oportet, quae cum pertineant ad veterum Persarum opinionem de ligno immortalitatis ac parum dissentiant cum Ezechielis Ioannisque visionibus, non sunt ab eo, quod quaerimus, aliena.

Testibus enim sanctis Persarum libris, cum illo perantiquo, qui Avesta inscribitur, tum his, qui inferiores aetate sunt, veteres Persae montem esse putabant, quo regio et noctis et ventorum tam frigidorum quam calidorum et fetoris et sordium et vaporis expers occupabatur et ex quo fons profluebat, qui dicebatur Arduisur atque omnium quae orbem terrarum irrigant aquarum caput existimabatur. Hoc in fonte crescebat planta, quae alba Hom vel Gokarn arbor nominabatur, et qua qui vescebantur vitam sibi conciliabant aeternam. Eo quidem loco, quo in Avestae libris, quos ill. Fridericus Spiegelius interpretatus est (Avesta, die heiligen schriften der Parsen, Leipzig 1852. 59), de Gaokerena arbore sermo est, nulla fit mentio aquae, qua lignum illud immortalitatis gigni vel ali putabatur. Vendidadi enim capite XX exordiente, postquam ea, quae Ahura-mazda summus deus Zarathustrae prophetae quisnam primus fuisset medicus roganti respondit, enarrata sunt, vv. 15 sq. haec tantum leguntur, quae Spiegelii opera in nostram linguam ita translata sunt (I, 256): *Dann brachte ich, der ich Ahura-mazda bin, die heilenden Bäume hervor. Viele hunderte, viele tausende, viele zehntausende. Herum um den einen Gaokerena. Das Alles preisen wir, das Alles loben wir, das Alles erbitten wir her zu diesem Körper des Menschen. Krankheit, dich verwünsche ich, Tod, dich verwünsche ich, Leiden, dich verwünsche*

ich, Fieber, dich verwünsche ich. cet. Verum in libro Bundehesch inscripto locus exstat, quem Spiegelius nota ad Gaokerena vocabulum adiuncta laudavit, quoque illa nobis tradita sunt, quae supra diximus de Gokarn planta ex fonte qui Arduisur vocatur emergente et hominibus impertiente immortalitatem. Quae traditiones quanto opere conveniant cum iis, quae apud Ezechielem et Ioannem leguntur, non oportet demonstrari. Similia enim omnibus his locis legi, quis sit qui infitietur? Sed huius similitudinis reconditam causam investigandi hic locus non est. Hanc ad quaestionem alii, qui eam sustinere se posse confidant, explicandam accedant. Nobis quidem, qui de Parzivalis loco hic loquimur atque ad eum clarius illustrandum fabularum illarum mentionem fecimus, demonstrare tantum in animo fuit, ad quam antiquam, quam sanctam, quam pervagatam opinionem ea, quae apud Wolframum leguntur, sint referenda, etiamsi verus fons, ex quo poeta noster vel is, quem ille auctorem secutus est, narrationem suam hauserit, vix poterit aperiri.

IIII.

Ad alium transeamus Parzivalis poematis locum, quem explicaturis nobis cavendum est, ne architectis, cum quaestio spectet ad architecturam, risum moveamus. Sed rideant illi, si nos errasse animum adverterint, dummodo ridentes intellegant, libros esse, qui, etsi sunt de rebus architectonicis, tamen, sicut Vitruvii opera, penitus perspici ab architectis nequeunt, nisi qui consulendi causa accesserint ad philologos. Cum igitur nonnumquam accidat, ut architecti facere non possint quin obtineant philologorum partes, quam ob rem tandem philologi, quaestionis alicuius natura adducti, impediamur, quominus attingamus architecturam? Versus autem, quibus res continentur architectonicae, obscuritate aliquatenus laborantes leguntur Parz. 589, 1—4.

Uf durch den palas einesît
gienc ein gewelbe niht ze wît,
gegrêdet über den palas hôch:
sinwel sich daz umbe zôch.

Sed priusquam ad locum ipsum interpretandum aggrediamur, pauca de iis videntur dicenda esse, quae poeta versibus, qui modo allatis praemissi atque adiuncti sunt, narraverit. Narratio eius, Parzivalis libro XII., cuius particula locus est noster, exordiente, in Gawani versatur describendis doloribus cum corpus eius tum animum vehementer vexantibus. In lecto enim, quem servare cogitur, ut vulnera sanentur, quae arce in mirabili cum hostibus miro genere oriundis depugnans exceperat, Gawanum se volutantem videmus, Orgelusiae amore tantopere incensum, ut nihil ipsi longius videretur, quam nox, dum orientem adspiceret solem. Itaque prima luce postquam animo perturbatus surrexit e lectulo, ut omnes arcis in potestatem suam redactae partes cognoscat, palatium intrat magnificum, cuius in descriptione etiam ii leguntur quos supra inseruimus versus. Quibus in versibus quae a poeta dicantur, si fieri poterit, postea explicabimus, quam cognoverimus ea, quae in narratione illos sequuntur. Sequitur autem a versu 5. descriptio speculae, qua pulcherrimis ornamentis immo miraculis abundante palatium instructum esse legimus; quam in speculam se conferens Gawanus, id quod legitur Parz. 590, 2 sq., fingitur a poeta his verbis *durch schouwen gienc hêr Gâwân ûf daz warthûs.* Sola praepositione *ûf* hoc loco adhibita nondum quidem apertum est, speculam, de qua sermo est, excelso loco exstructam a poeta nostro significari; fit enim apud Wolframum, ut praepositioni *ûf* eadem fere vis subiecta sit, quam habet *in* praepositio, sicut Parz. 446, 9, ubi haec leguntur *ez was ûf einem grôzen walt.* Nam *ûf* vocabulum hoc loco *in* praepositionis partes suscipere videtur, nisi silva, de qua poeta loquitur, non pro qualibet silva sed potius pro saltu accipienda sit. Cum autem Parz. 595, 12 sq. Gawanus de specula descendens ad palatium redire dicatur, fieri non potest, quin speculam supra palatium sitam esse fingas.

Qua cum opinione minime pugnare videntur ea, quae Parz. 589, 1—4 dicuntur, qui versus supra transscripti haud scio an hoc modo sint vertendi. *Ûf durch den palas eine sît gienc ein gewelbe niht ze wît* ‘sursum per altitudinem palatii, cuius partem aliquam occupabat, testudo pertinebat ita constructa, ut inter binos fines arcus testudine formati haud amplum intervallum intercederet.’ Quae testudo subsequentibus his versibus *gegrêdet über*

den palas hôch: sinwel sich daz (sc. *gewelbe*) *umbe zôch* gradus, qui supra palatium se efferebant, habuisse atque etiam circum axem se rotavisse dicitur. Habes igitur his versibus, si nostram eorum explicationem probaveris, descriptionem scalarum angustarum, quae fulciebantur testudine, quae, in altum elata ac circum axem conversa, et supra et infra eum erat, quicumque per has scalas ascendebat. Quod aedificiorum genus, sive testudine sive alio modo exstructum, nunc dicimus *wendeltreppe*, maiores autem dixerunt *wentilstein* i. e. *turris in quam per circuitum ascenditur*, *cochlea*. Cf. Schmelleri lex. IIII, 106; Hauptii ephem. V, 414, v. 41.

Etiamsi autem nostram hanc interpretationem probabilem fore speramus, restat tamen, ut circumspiciamus, num quid praeterea momenti nobis offeratur, quo Wolframi dicta recte a nobis accepta esse confirmetur. Si enim fieri poterit, ut certo auctore discamus, medii aevi homines aedificare solitos esse tales, quas apud Wolframum describi censemus, scalas, tum demum licebit statuere, recte nos intellexisse Wolframum. At quem alium quaeremus, a quo huius rei testimonia petenda existimemus, nisi architectos eosque, qui doctrina, subtilitate, industria praediti, si qui tales fuerunt, res medii aevi architectonicas tractaverint? Si vero hoc nomine ad architectorum genus animum adverterimus, multos eorum cognoscemus fuisse, qui huic medii aevi parti illustrandae navarunt operam accurateque id sunt exsecuti. Nemo tamen accuratius omnique laude dignius hanc disciplinam coluit, quam Violletius cognomine Le-duc, Francogallus, cuius libri, qui dictionnaire raisonné de l'architecture française du XIe au XVIe siècle inscribuntur, a. MDCCCLIV Parisiis edi coepti sunt. Quo auctore audito, cum quemvis huius generis scriptorem diligentia arte atque ingenio superet, alii consulantur haud necesse erit.

Neque harum rerum perito cuiquam mirum esse, credo, videbitur, quod Theotisci poetae intellegendi gratia quasi peregre profecti Francogallos tanti faciamus, ut eorum opera res nostras illustrari posse existimemus. Notum enim est, quam propense Germani iam inde ab antiquissimis temporibus Francogallis obsecuti sint, quam cupide, inprimis equitum ordine efflorescente, non solum vocabula Gallica in patriam linguam perperam intro-

duxerint, sed etiam mores, cultus, instituta, artes a Francogallis sint mutuati. Quo factum est, ut tot aedificia et sacra et profana, sicut aedes cathedrales et arces, a Germanis medio aevo exstruerentur, quae ab exemplaribus Francogallicis pendent. Neque aliud quidquam causae est, cur poematum, quae Germani poetae equites confecerunt, maxima pars argumentis abundat Francogallicis. Quae cum ita sint, recte haud dubie facimus, si Francogallos volumus explicare res etiam architectonicas, quas Germani poetae, si Francogallicos auctores, ut Wolframus, secuti sunt, in poematis suis descripserunt. Consulamus igitur Violletii qui supra laudati sunt libros, num quid iis contineatur, quo Parzivalis loco nostro clariorem lucem afferre possimus. Nec frustra consulentur. Nam Violletii lexico tom. V (Paris. 1861) p. 295 sq., ubi de scalis intra aedificia exstructis agitur, descriptio exstat et effigies, ligno maxime artificiose incisa, eius scalarum generis, quod Wolframi versibus, de quibus disputamus, mihi quidem videtur significari.

Quae res cum ita se habeat, haud scio an operae pretium faciam, si quae de eiusmodi scalis disseruit ille architectus, cuius libri haud ferme in omnibus bibliothecis publicis collocari solent, una cum effigie disputationi meae inseram. Leguntur vero apud Violletium l. l. haecce. ‘*Les plus anciens escaliers à vis du moyen âge se composent d'un noyau en pierre de taille, d'une construction en tour ronde, d'un berceau en spirale bâti en moellon, reposant sur le noyau et sur le parement circulaire intérieur. Cette voûte porte des marches en pierre dont les arêtes sont posées suivant les rayons d'un cercle. La figure représente en plan et en coupe, suivant la ligne AB du plan, un de ces escaliers si fréquents dans les édifices des XIe et XIIe siècles. La porte extérieure de l'escalier étant en D, la première marche est en C. Ces marches sont posées sur un massif jusqu'au parement G; à partir de ce point commence la voûte spirale que l'on voit figurée en coupe. Les tambours du noyau portent un petit épaulement H pour recevoir les sommiers du berceau qui, de l'autre part, sont entaillés dans le mur circulaire I. Les marches sont posées sur l'extrados du berceau rampant et se composent de pierres d'un ou de plusieurs morceaux chacune Généralement ces voûtes rampantes sont assez grossièrement faites*


en petits moellons maçonnés sur couchis. Les voûtes des escaliers du choeur de l'église abbatiale d'Eu, qui datent du XIIe siècle, sont cependant exécutées avec une grande précision cet.


Quam Violletii expositionem qui una cum iis, quae adumbrata sunt in tabula iuxta posita, cum Parzivalis loci, quem interpretari studemus, versibus comparaverit, aptissimam eam ad Wolframi dicta perspicue illustranda nobiscum arbitrabitur nec poetam nostrum aliter intellegendum esse sentiet atque eum supra explicavimus.

Huc accedit, quod huic nostrae explicationi optime conveniunt ea, quae apud Wolframum scalarum descriptionem sequuntur. Gawanus, qui in speculam ascendit (id quod narratur Parz. 590, 2 sq.), hoc nimirum conficere non potuit, nisi scalis utebatur ita in altum se efferentibus, ut postremo in ipsa specula finirentur. Has scalas Wolframus, ut demonstravimus, describit; quibus descriptis ad speculam ipsam illustrandam transit ita ut primo loco mentionem faciat mirae illius columnae (cf. Parz. 589, 5 sq.), quae media in specula dicitur exstitisse.

Continetur igitur hoc quoque Parzivalis loco testimonium, quantopere poeta noster omnia, quae narravit, inter se consentire omnino voluerit atque quantam curam adhibere consueverit ad scaenam in quam personas facit prodeuntes accuratissime exornandam, cum hanc sententiam recte teneat, vel levissimis rebus, etsi per se minoris momenti videantur atque perpaucis modo verbis attingantur, tamen, dummodo suo quidque loco positum sit, poematis sui dignitatem posse amplificari.

His scriptis in manus mihi venit Alwini Schultzii libellus (Ueber Bau und Einrichtung der Hofburgen des XII. und XIII. Jahrhunderts, Berlin, 1862), cuius paginis 38 et 39 explicatio Parzivalis loci, quem supra tractavimus, continetur. Cum autem Schultzius locum illum non prorsus recte interpretatus esse videatur, meam explicationem haud indignam putavi, quam in lucem ederem.


H
I
A
B
C
D
G



SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. In carmine Theotisco, cui Muspilli inscriptum est, v. 32 legitur: *dara scal queman chunnô kilîhaz;* legatur *komman*, cet.
2. Gervinus Otfridum iniuste aestimat.
3. In Friderici de Hausen carmine decimo v. 13 (= Minnesangsfrühl. p. 48, 15) legitur: *daz si deheinen heten liep;* legatur *dâ heime.*
4. Godofredi Argentoratensis Trist. v. 12384 sq. (= Massm. p. 311, 26 sq.) mecum corrige

    wan die sich helent under in,
    sît daz si sich *enbarten,*
    und danne ir schame *warten,*
    und gestent sich an liebe,
    die sint ir selber diebe.

5. Apud Catullum in carmine XI. v. 11 et 12 cum Hauptio legendum est *Gallicum Rhenum, horribile aequor, ultimosque Britannos.*
6. Recta opinione illi ducuntur, qui Lessingii Aemiliam Galotti principe tepere existimant.